

B. h. II, 65.

A. 10, 11.

II m  
519

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA  
DE

IMPERIALI  
SACRA LANCEA

NON  
INTER RELIQUIAS IMPERII  
SED CLINODIA

REFERENDA  
CVM PROBLEMA  
DE

NOVO S. R. I. OFFICIO  
ARCHI-LANCIFERATV

QVAM  
SVB MODERAMINE  
MAGNIFICI ACADEMIAE RECTORIS  
DOMINI

IOHANNIS DAVIDIS KOELERI P. P.  
PRAECEPTORIS AC PATRONI  
AETATEM COLENDI

D. DECEMBR. A. CIOIOCCXXXI  
PVBLICE SOLENNITERQVE VENTILABIT  
AVCTOR

WOLFGANGVS ALBERTVS SPIES. NORIMB.  
I. V. C.

ALTORFII

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.









## Q. D. B. V.

### §. I.



Imperium nostrum Romano-Germanicum, uti nulli alteri regno maiestate, dignitate ac potentia facile cedit, imo ceteris omnibus longe superius existit; ita certis quibusdam regalibus ornamentis, sive Majestatis insignibus, ab antiquissimo tempore gaudet, quae illi splendorem non exiguum apud omnes conciliant. His Reges Germaniae utebantur tam in suae inaugurationis cerimonia, quam etiam olim in solemnibus curiis, ceu regiae maiestatis symbolis. Haec proinde appellantur ab Imp. Henrico IV. in ep. ad Philippum I. R. G. ap. VRSTIS. p. 397. *Regni Insignia*; a GODEFRIDO VITERB. P. XIX. Chron. p. 18. *Regalia insignia*; a CONRADO VRSBERG. ad A. 1209. p. 313. *Insignia Imperialia*; ab ALBERTO ARGENT. p. 119. et 124. *Sanctuariorum insignia, quae Regum dicuntur*. Non sunt autem unius eiusdemque generis, sed oppido quam maxime inter se differunt: inde tam Historici, quam Iuris publici Doctores, in duas classes ea distribuerunt. Ae prior quidem classis complectitur *Clinodia* sive Insignia speciatim sic dicta, sive regalia ornamenta, quae in coronatione Imperatoris vel Romanorum Regis majoris splendoris causa adhiberi solent. Talia sunt: 1. *Corona Caroli M.* 2. *Annulus*, 3. *Sceptrum*, 4. *Globus cruciger*, 5. *Gladius Caroli M.* 6. *Gladius S. Mauritii*, 7. *Vestis Dalmatica*, 8. *Pluviale sive Pallium*, 9. *Stola aurea*, 10. *Amiculum rubrum*, 11. *Zona seu Cingulum*, 12. *Chirothecae*.

Insignia Imperii in duas classes dividuntur, in Clinodia et Reliquias.



*thecae aureae*, 13. *Sandalia*, etc. vid. HARTMANNVS MAVRYS de Coronat. Imp. Caroli V. *Diarium Coronat. Imp. Caroli VI.* p. 30. Ad posteriorem classẽ sacrae Reliquiae, Germ. *die Heilighthümer*, referuntur, quarum apparatus religionis causa asservatur, et quarum pariter nonnullae tempore inaugurationis Caesareae cum Clinodiis ad locum coronationis transmittuntur, atque in actu coronationis in altari collocantur. Praecipuae harum Reliquiarum sunt: 1. *Sacra Lancea*, 2. *Capsula cum aliquot guttis sanguinis St. Stephani*, 3. *Fragmentum S. Crucis*, 4. *Fragmentum de praesepe Christi*, etc. Hanc autem Insignium Imperialium divisionem suggerit Codicillus Ludovici Marchionis Brandenb. et Duc. Bav. quo A. 1350. insignia Imperialia Imp. Carolo IV. tradidit, in *append. ad LVDEVVIGII Diss. de Noriberga Insign. Imperial. tutel. Lit. A.* p. 2. in quo affirmat: *Se D. Carolo Rom. Regi fideliter in veritate tradere reliquias Sacri Imperii una cum aliis adiunctis cimeliis.*

§. II.

Ad reliquias  
vulgo refer-  
tur Sacra  
Lancea.

Ad Lipsanorum sacrorum classẽ vulgo etiam refertur SACRA LANCEA, qua Servatoris nostri, IESV CHRISTI, in cruce pendentis exanimatum corpus secundum Ioh. XIX, 34. vulneratum fuisse creditur. Ex quo tempore enim invasit hominum animos ea religio, ut, ob memoriam Sanctorum Martyrum, veneratione dignum iudicarent omne id, quod ab illis ex traditione quadam remanserat, vid. DOMINICVS MACER in *Hierolexico* p. 520. in primis lignum crucis, quod Helenam Augustam Sec. IV. invenisse perhibent, et alia instrumenta cruciatuum Servatoris nostri, IESV CHRISTI, quae ad se delata crediderunt prisca secula, summo studio asservata, et magna reverentia culta fuerunt. Lancea ergo, de qua nobis sermo est, sacra ac venerabilis etiam habita est, ob duplicem causam, quia non solum ea a milite Romano perforatum est latus Servatoris optimi, verum etiam, quia adiun-  
ctum



ctum habet clavum, quo corpus CHRISTI cruci affixum fuit. Testatur hoc bulla Innocentii VI. Pontificis, in ERDMANNI *relat. de sacris Imp. reliqu. c. VI.* qua A. 1354. ob petitionem Imp. Caroli IV. festum diem anniversarium Armorum Christi instituit. Licet enim iam antea combinatum hoc monumentum passionis dominicae cultu religioso concurrentes populi prosequerentur, voluit tamen Imperator eundem per constitutum quendam diem augere, et solenniorem quotannis reddere. Hinc suis precibus induxit Pontificem Maximum, ut ejus indultu ac auctoritate sexta feria post octavam resurrectionis dominicae annis singulis a Christi fidelibus, in Alemanniae et Boëmiae partibus de Lancea et clavo proprium festum cum speciali officio perpetuo celebretur. Vid. HENR. REIDORE. *ad ann. 1250. p. 637. et 1261. p. 643.* et MAGNUM CHRON. BELGIC. *ad a. 1350. p. 304.* Verba istius bullae Pontificiae sanctitatem lanceae nostrae praedicantia haec sunt: *O felix lancea, quae tot bona nobis effecit, et ad tanti triumphi gloriam superadditam hoc latus ipsius aperiendo sanctissimum januas nobis regni coelestis aperuit. Haec vulnerando jam mortuum vulnera nostra sanavit, vitamque nobis reddidit et salutem. Haec innoxium transfigendo illius sanguine culpas nostras absterfit, et demum eisdem undis sacratissimis irrigata, coecitatis nostrae tenebras sustulit, et nos ipsius divinae pietatis fluvio inundavit. Illique etiam dulces clavi, cum quibus ipse Salvator eidem cruci fuit affixus, quique non solum ejus immaculato respergi sanguine, et molem ferre tanti ponderis metuerunt, etc. Item: Sane oblata nuper nobis pro parte charissimæ in Christo filii nostri Caroli, Romanorum et Bohemiae Regis illustris, petitio continebat, quod ipse inter sacras reliquias, quae imperiales vulgariter nuncupantur, quaeque tanquam pretiosissimus Imperii Romani thesaurus consueverunt per Romanorum Regem seu Imperatorem, qui est pro tempore, conservari et reverentissime etiam honorari, habet in sua custodia praedictam sa-*

B

cratissi-



*cratissimam lanceam, nec non unum ex clavis praedictis, prout  
 praedecessores sui clarae memoriae Catholicæ Romanorum Reges  
 seu Imperatores etiam habuerunt, et quod ad ipsas reliquias ha-  
 betur in illis partibus magna devotio et concursus etiam populo-  
 rum.* Deinde, ut fideles ad venerationem lanceae et clavi fer-  
 ventius animentur, eoque ad ecclesiam vel capellam, in qua  
 fuerint, et ad celebrationem festi instituti libentius conflu-  
 ant, omnibus vere poenitentibus et confessis visitantibus istam  
 capellam tres annos, et tres quadragenas, singulis videlicet  
 ipsius festi diebus; eis vero, qui eadem die in missa, et singu-  
 lis horis canonicis ubicunque in provincia Imperatorum divi-  
 nis interfuerint, centum dies de iniunctis eis poenitentiis re-  
 laxavit. Eandem etiam venerationem Lanceae sacrae prae-  
 cepit Martinus V. in Bulla, qua jus tutelare Noribergensibus  
 aeternum contulit, in qua simul anathema denunciat omni-  
 bus, cuiuscunque conditionis ii fuerint, aufuris Reliquias et  
 Insignia e Noribergensi urbe auferre, vetatque extra mortis  
 articulum beneficium absolutionis iis impertiri, nisi prius Re-  
 liquiis et Insignibus restituitis. Addit quoque alia de ritu et  
 ceremonia, quo Cimelia haec, annuatim, feria sexta post o-  
 ctavas festivitatis Dominicae resurrectionis, ostendi debebant,  
 conceditque singulis devote ea spectantibus, Indulgentiarum  
 septem annos, et totidem quadragenas, nullo unquam tempo-  
 re expiraturum privilegio. Videatur *LVDEVVIGIVS in cit. Diff.  
 in Append. Lit. E. p. 17. 18. et seqq.* Non incongruum quo-  
 que erit hymnum de Lancea Dominica, quem ex Missali Ey-  
 stettensi *JACOB. GRETSERVS in Syntagm. de Insignibus Imperii  
 C. VII.* exhibet, hic apponere, cum in eadem diversimode  
 haec lancea circumscribatur. Ita autem sonat iste hymnus:

*Hodiernae festum lucis,  
 Et solenne vitae ducis:  
 Pro victrici lancea.*

*Decantemus laudes ei,  
 Quem transfixit vice reè.  
 Haec salutis framea.*

*Omnia*



Tab. I.

ad

p. 7.

*Vera definitio  
LANCERÆ SACRÆ inter Cuneâ Imperii Norimbergæ aservata.*



*Sempes Norimberg. VI. digitorum*

*Scala geometrica Pedis Norimberg. XII. digitor*









<p><i>Omnis utriusque sexus Te stringebat culpae nexus, Et mortis angustia.</i></p> <p><i>Pfalle illi, qui resoluit Culpae poenam, pro te solvit: Vitae daps remedia.</i></p> <p><i>Ave ferrum triumphale, Intrans pectus tu vitale Coeli pandis ostia.</i></p>	<p><i>Faecundata tu cruore: Felix hasta nos amore Per te fixi saucia.</i></p> <p><i>Florens cruor, quem fuderunt Artus Christi, quos foderunt Clavorum fixoria.</i></p> <p><i>Fusa per te ac rigata Et per clavos solidata Nostra sunt praecordia.</i></p>
-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------

*Placa patrem Majestatis,  
Ut in aevum cum beatīs  
Nos coronet gloria.*

§. III.

Quod ad formam SACRAE LANCEAE attinet, quae Noribergae asservatur, ea optime ex adjecta ejus figura affabre sculpta in tabula I. cognosci poterit. Est autem haec Sacra Lancea ferrum hastae oblongum, acutum, longitudinis viginti digitorum et septimae partis digiti, secundum mensuram pedis Noribergae usitati, qui vulgo *der Stadt-Schub* dicitur. In ejus medio secundum longitudinem clavus, quo Servator noster cruci affixus fuit, ita injunctus est, ut utrinque oblonga spatia inveniantur. Hic clavus praeterea diversis ligularum aurearum, reticulatim complicatarum, ordinibus alligatus est, quorum primus mensura esse vulgo putatur, quousque cuspis lanceae pectori Christi infixi fuerit. Deinde etiam tam in ipsius Lanceae, quam in clavi venerabilis utroque latere signum S. Crucis flavo colore ter pictum conspicitur. In medio lamina aurea circumducta est, cui haec verba in utraque facie antiquis literis inscripta sunt: LANCEA ET CLAVVS DOMINI. Hujus lanceae variae descriptiones apud veteres Auctores inveniuntur, inter quas praecipuum locum meretur

Descriptio  
Sacrae Lan-  
ceae secun-  
dum formam  
suam.



illa, accurate ejusdem formae respondens, quam ita dedit  
 LVITPRANDVS Lib. IV. Hist. cap. 12. Erat excepta ceterarum  
 specie lancearum, novo quodammodo opere, novaque elaborata fi-  
 gura, habens juxta limbum medium utrobique fenestras. Hae  
 pro pollicibus perpulchre duae acies usque ad declivum medium  
 Lanceae extenduntur. Hanc igitur Constantini Magni, San-  
 ctæ Helenæ filii, vivificæ crucis inventricis, fuisse affirmant,  
 quæ media in spina, quam limbum superius memoravi, ex cla-  
 vis, manibus pedibusque Domini et Redemptoris nostri, Jesu Chri-  
 sti, affixis cruces habet. SIGEBERTVS GEMBLAC. ad ann. 929.  
 Lanceam mirandæ operis et clavis Christi crucifixi sanctificatam,  
 eam nominat. Vetus auctor descriptionis, vwie das hoch-  
 würdigst Kayserl. Heylthum in der Löbl. Stadt Nürnberg alle  
 Jahr ausgerufft und gerweist wird, a celeberrimo WAGEN-  
 EILIO nostro ex MSSto Bibliothecæ Norimberg. in Comment.  
 de Noriberga C. XXVI. p. 229. editus dicit: Das heilige Ei-  
 sen des Speers, das geöffnet hat das süsse Herz unsers Herrn  
 Jesu Christi, und so tief verwundet hat, als Ihr sehet von dem  
 Spiz an dem guldenen Reiß, der dann zu einem Zeichen darum  
 gelegt ist. Et paulo infra: Auch auf und in desselbigen heili-  
 gen Speers. Eisen ist angehefft der Nagel einer, damit unser  
 Herr Jesus Christus an das Creuz genagelt worden ist.

§. IV.

De Origine  
 et acqui-  
 sitione ab  
 Henrico I.  
 Rege.

Non est animus, in præsentî operosè disquirere, utrum  
 hæc Lancea, inter Cimelia Imperii reposita, illa ipsa sit,  
 quæ sanctissimum Servatoris nostri latus aperuit, siquidem  
 hæc disputatio a scopo nostro plane aliena foret. Insuper  
 istud pluribus jam deduxerunt GRETSERVS in Syntagm. de In-  
 signibus Imperii c. VIII. mutans suam priorem sententiam in  
 T. I. de S. Cruce Lib. I. c. 96. p. 316. et T. III. Lib. I. c. 20.  
 p. 1851. DN. LVDEVVIGVS in sæpe cit. Diss. c. VII. §. 4.  
 Lit. ee. et objectionibus dissentientium fuscè responderunt.  
 Multo











Multo minus morabimur otiosas illas de Longini nomine altercationes, siquidem hae jam pridem a doctissimis viris exploratae sunt. Conf. CASP. SAGITTARII *Diss. de Lancea, qua perossimulatus Christi*, Jenae A. 1673. habita. Illud tantum nunc evolvamus, a quo Rege, et quam aetate Lancea nostra ad Imperium Germanicum pervenerit. Hic vero concors omnium antiquorum Scriptorum consensus est, Henricum I. Regem Rudolpho II. Burgundiae Regi, partim minis, partim promissionibus lanceam sacram circa A. 935. extorsisse, quorum testimonia proferamus. LUITPRANDVS *Lib. IV. hist. C. 11.* ita rem enarrat: *Sed quia lanceae ipsius sanctae memoriam fecimus hic, qualiter ad eum (Imp. Ottonem) pervenerit, inseramus. C. 12.* Burgundionum itaque Rex Rodulfus, qui nonnullis annis Italicis imperavit, lanceam illam a Samsonе Comite dono acceperat. (Sequitur nunc descriptio in paragrapho antecedente p. 8. allata) *Henricus itaque rex, ut erat Domini timens, totiusque religionis amator, audito Rodulfum tam inaeestimabile donum habere coeleste, nunciis directis tentavit, si praemiis aliquibus id posset acquirere, sibi que adversus visibiles invisibilesque hostes arma invictissima, triumphumque perpetuum praeparare. Quod quum Rex Rodulfus modis omnibus se nunquam facturum ediceret: rex Henricus, quia mollire hunc muneribus non potuit, minis terrere magnopere curavit. Omne quippe regnum ejus caede atque incendiis se depopulaturum esse promisit. Quia vero, quod petebatur munus erat, quo coelestibus terrea Deus coniunxerat, lapis scilicet angularis faciens utraque unum, Rodulfi regis emollivit cor, justoque regi justa juste petenti cominus dedit. Neque enim pace praesente simultatis locus erat. Nam et eo, qui his crucifixus est, a Pilato ad Herodem properante, facti sunt amici in illa die, qui prius inimici erant adinvicem. Quanto autem amore rex Henricus praesatum inaeestimabile donum acceperit, tum in nonnullis rebus, tum in hoc praesertim claruit, quod non solum eo*



donantem se auri argentiq[ue] muneribus, verum etiam Suevo-  
rum provinciae parte non minima honoravit. Deus autem, qui  
quo quisque quid animo peragat, intuetur, non muneris quantita-  
tis, sed bonae voluntatis inspector ac retributor, quanta ob prae-  
libatam rem mercede aeterno in seculo pium donaverit regem,  
iudiciis quibusdam hoc etiam in tempore prodidit, dum contra se  
insurgentes hoc victorifero praeunte signo semper hostes terruit  
atque fugavit. Hac igitur occasione, imo Dei voluntate san-  
ctam rex Henricus adeptus est romphaeam, quam filio, unde in-  
praesentiarum nobis sermo est, decedens cum regno haereditario  
reliquit. Qui quanta donum inaeestimabile veneratione colue-  
rit, victoria non solum indicat praesens, verum etiam divino-  
rum, ut prompturi sumus, admiranda largitio munerum. Idem  
etiam refert AVCTOR VITAE S. GERARDI BRONIENSIS in SVR II  
Historia Sanctorum Tom. V. mens. Octobr. p. 513. Sed ut interim  
omittamus complura, ab illo (Henrico R.) prudenter et fortiter ge-  
sta, magnum et praeclarum quiddam, quo totam, cui praeerat,  
Austriam beavit, annotare visum est. Quod nimirum ejusmo-  
di est, ut decessorum ejus nullus tale quippiam fecisse legatur:  
ne ipse quidem, qui totum pene subegerat orbem, Carolus Magnus.  
Obtinuit enim lanceam Magni Constantini, Helenae reginae filii,  
inventricis, ut et legitur et creditur, salutiferi ligni. Ea au-  
tem lancea Crucis habuit effigiem, clavis, quod dictu quoque mi-  
rum videri queat, Dominico corpori affixis. Qua vero pruden-  
tia et solertia eam indeptus sit, et quanto eam venerationis stu-  
dio profecutus sit, cujusdam Chronographi luculenta prodit ora-  
tio, quam aedificationis causa his inserere voluimus. Sequitur  
deinceps integra et paucissimis tantum immutata Luitprandi  
relatio, quam proinde brevitatis causa omisimus. Praeterire  
etiam non possumus locum SIGEBERTI GEMBLAC. ad A. 929.  
Lanceam mirandi operis, et clavis Iesu Christi sanctificatam,  
quae dicitur primi et Magni Constantini fuisse, donatam Rudol-  
pho, Regi Burgundionum et Italiae, a Samfone Comite, Rex  
Henri-



*Henricus precibus, minis, muneribus, addita etiam parte provin-*  
*ciae Suevorum, a Rudolpho extorquet, et hanc ad insigne et*  
*tutamen imperii posteris reliquit. Eandem historiam ver-*  
*bis Luitprandi recenset ALBERTVS STADENSIS ad A. 920.*  
*p. 211. quem locum etiam suis Chronicis inseruerunt ABBAS*  
*VRSPERGENSIS ad A. 920. p. 200. et ANNALISTA SAXO ECCAR-*  
*DINVS ad A. 925 p. 249. Strictim refert acquisitionem sacrae*  
*lanceae OTTO FRISINGENSIS Lib. VI. Chron. c. 18: Lanceam*  
*quoque sacram, quam reges nostri haecenus habent, ab Arnolfo*  
*(mendosa appellatio) Lugdunensis Galliae, seu Burgundionum*  
*Rege, minis extorsit. Neque nos, ut ab hac sententia disce-*  
*damus, locus WITTECHINDI Lib. I. Annal. movere potest, qui*  
*inter regia insignia lanceam sacram recenset, quae Conradus*  
*moribundus Eberhardum fratrem tanquam Imperii pignora,*  
*ad Henricum perferre iussit, his verbis: Fortuna frater cum*  
*nobilissimis moribus Henrico cedit, rerum publicarum secus Sa-*  
*xones summa est. Sumtis igitur his insigniis, Lancea sacra,*  
*armillis aureis, cum chlamyde et veterum gladio Regum, ac dia-*  
*demate, ito ad Henricum, etc. Potest enim contra haec Wit-*  
*tichindi verba notari 1) quod alii Auctores, eandem regali-*  
*um insignium a Conrado factam Aucupi traditionem et enu-*  
*merationem describentes, lanceae nullam prorsus mentionem*  
*faciant, prouti patet ex LVII PRANDO Lib. II. c. 7. Conradus*  
*evocationis suae ad Dominum tempus agnoscens - - - propriam*  
*coronam, non auro (quo cujuscunque ordinis pene Principes pol-*  
*lent) verum gemmis pretiosissimis non solum ornatam, sed grava-*  
*tam, sceptrum et cuncta, quae regalia sunt indumenta, in medium*  
*venire praecepit. Pariter ECKHARDVS JUNIOR Cap. V. de Casibus*  
*Monasterii S. Galli scribit: Incipiens autem mori (Conradus I.)*  
*clam loquitur fratri: sumens coronam et sceptrum nocte dieque*  
*accelera ad Henricum, teque et regnum ei meis verbis in manus*  
*dato. Fecit igitur, ut Rex iusserat, veniensque secretum Hen-*  
*rici petit alloquium. Eliminatis omnibus ipse ostium clausit,*  
chlamy-



*chlamydeque exuta ad pedes viro corruens, nimis stupenti coronam et sceptrum detegit, et quae iussus est, narrat.* 2) Quod vel Corbejensis per prolepsin hujus lanceae sacrae mentionem fecerit, vel ab imperitis et ad usum suae tempestatis omnia dimententibus haec vox librariis sit addita, quae sunt meditationes GYNDLINGII in *Henrico Auc.* p. 235. Et denique 3) quod Cl. STRUVIO videtur in *Syntagm. Hist. Germ. Diss. XI. §. XVI.* p. 303. in singulis regnis plures fuisse lanceas, ob insertas Sanctorum reliquias consecratas. Ac nos etiam persuasi sumus, jam ante translata lanceam Rudolfinam Reges nostros gestasse lanceas, atque additis lipsanorum decoribus spectationes reddidisse. Post haec tempora Lancea sacra, una cum aliis Imperii insignibus, in custodia et cura Imperatorum Romanorum permansit, donec tandem a Sigismundo Imp. A. 1424. d. 21. Martii, Noribergensi civitati haec custodia commissa fuerit, ita quidem, ut hoc jus tutelare Noribergae in aeternum competere debeat. Ex pluribus Historicis testibus placet allegare CONRADVM CELTEM in *descriptione Noribergae c. VIII.* ubi ita scribit: *Has (scilicet reliquias Imperiales) Sigismundus Caesar in eo motu, quo Bohemia a religione Romana defecerat, a Praga, Bohemorum metropoli, Norimbergam, quam solam inter tot claras Germaniae urbes hoc munere dignam censebat, traduxit. Quae nunc quotannis, ex Actis XII. post Pascha diebus, in publico foro, maxima veneratione et cultu ostenduntur.* Plura videri possunt apud LVDEVVIGIVM cit. *Diss. c. II.*

## §. V.

Sacra Lancea inter Clindia relata est, 1.) quia hasta vetustissimis temporibus fuit signum Imperii.

De hac Lancea sacra vero, ejus formam et acquisitionem descripsimus, nostra est sententia, eam olim ad Regalia insignia potius, quam ad reliquiarum sacrum apparatus pertinuisse, ejusque usum magis curialem ac politicum, quam sacrum et religiosum, fuisse. Hujus assertionis nostrae argumenta haec sunt. *Primo,* ex historiis et antiquitatibus constat, hastam apud omnes fere gentes



gentes excellentioris et sublimioris potestatis symbolum atque notam fuisse. Ita hasta apud Romanos jurisdictionis imprimis signum fuit, ceu patet ex *L. 2. §. 29. D. de Orig. Jur.* ubi JCTUS POMPONIVS scribit: *Deinde cum esset necessarius magistratus, qui hastae praeesset, Decemviri litibus judicandis sunt constituti.* Nota etiam est *Hasta Centumviralis*, quae nihil aliud, quam Judicium Centumvirale denotat, uti videre est ex SVETONIO in *Augusto c. XXXVI.* Et *sub hasta vendere* idem erat, ac aliquid in publico Judicio vendere, in cujus venditionis signum moribus Romanis hasta ponebatur. vid. *CVIACIVS ad Rubr. Cod. de fide et jure hastae fiscalis.* Vetustissimis autem temporibus Imperii potissimum signum hasta fuit, quod probat elegans locus apud IVSTINVM *Lib. XLIII. cap. III. v. 3.* *Per ea adhuc tempora* (scilicet primordia urbis Romae) *reges hastas pro Diademate habebant, quas Graeci scepra dixerunt.* Nam et ab origine rerum pro Diis immortalibus veteres hastas coluere, ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastae adduntur. Sic Hieroni, prima bella incenti, cum Aquila in clypeo, Noctua in hasta, confedisset, consilio cautum et manu promptum regemque futurum, colligebant. vid. *IVSTINVS XXIII, 4. 10.* Vnde etiam veteres per *hastam* jurasse, passim in historiis occurrit, quemadmodum apud Aeschylum Parthenopaeus per hastam jurat, eamque pro Deo colit. *Hasta Coenei*, Lapitharum Regis, etiam proverbio celebrata est, quam ille a civibus et viatoribus coli, et per eam jurare Lapithis praecerat. vid. *HOMERVS Iliad. v. 234.* Quid? quod etiam in S. Literis legimus, Israelitarum Reges hastam seu lanceam manibus, tanquam signum regiae Majestatis, gestasse, id quod probare possumus ex *I. Sam. XVIII, 11. XIX, 10. XX, 33.* quae loca clare nobis ostendunt, hastam illam, qua Saul Davidem transfigere conabatur, signum Imperii fuisse. Denique etiam hanc nostram sententiam Antiquitas Graeca pariter ac Romana satis superque comprobat, quae Jovem

C fre-



frequenter hastatum fuit, prout de eo Mythologiae et antiquitatis scriptores pluribus videri possunt. Apud Francos tanta erat dignitas hastae, ut ea uti servis non liceret. Ita enim legitur in *Capitularibus ab ANSEGISO collectis L. V. n. 247. Ut servi lanceas non portent. Qui inventus fuerit post bannum, hasta frangatur in dorso ejus.* Cum enim ipsi Franci ita dextre hastas manu torquerent, ut a FVLCHERIO CARNOTENSI *L. II. c. 41.* dicantur, *probatissimi bellatores, et mirabiles de lanceis percussores*, nolebant, ut in hastis jactandis pariter excelleret servi, ac aequarent liberos homines.

§. VI.

*Secundo*, sententiam nostram exinde probare possumus, quia moris olim apud Longobardos fuit, Reges per hastam inaugurandi. Hoc testatur gravissimus Scriptor, PAVLVS DIACONVS *Lib. VI. de Gestis Longobardorum C. 55.* ita scribens: *Ipse Rex (Liutprandus) eo tempore in languorem decidens, morti approximavit. Quem Longobardi vita excedere existimantes, ejus nepotem Hildeprandum foras muros civitatis ad Sanctae Dei genitricis Ecclesiam, quae ad Perticas dicitur, in Regem levaverunt. Cui dum contum, sicut moris est, traderent, in ejus conti summitate cuculus avis, volitando veniens, insedit. Tunc aliquibus prudentibus hoc portentum visum est significari, ejus principatum inutilem fore.* Hinc SIGONIVS *Lib. I. de Regn. Ital. p. 27. ad A. 601.* dicit, Paulum nusquam ostendere, ullum Regem Longobardorum corona ferrea, a Theodolinda instituta, fuisse redimitum, imo tradere, morem eis fuisse, *ut hastam Regi declarato porrigerent.* Hic ritus, per hastam regnum tradendi, apud Francos etiam olim usitatus fuit. Ita enim Guntchramnus Childebertum nepotem sibi successorem declaravit, uti auctor est GREGORIUS TVRONENSIS *Histor. Francor. Lib. VII. Cap. 33.* Post haec Rex Guntchramnus, data in manu regis Childeberti hasta, ait: *Hoc est indicium, quod Tibi omne regnum meum tradidi.* Ex  
hoc

2.) quia apud Longobardos, Francos et Burgundos regni traditio fuit facta per hastam.



hoc nunc vade, et omnes civitates meas, tanquam tuas proprias, sub tui juris dominationem subijce. Idem AIMOIRVS Lib. III. cap. 68. refert: *Hastam, quam manu gerebat, nepoti tradidit, inquit: Hoc, amantissime nepos, indicio noveris, te mihi successurum in regno.* Vnde in sepulchro Childerici Regis, ann. 1653. Tornaci detecto, reperta fuit Framea regia, sive ferrum hastae regiae praefixum, et aureus annulus, in quo sculpta imago Regis, *hastam dextra tenentis.* vid. Io. IAC. CHIFFLETIVS in *Anastasi Childerici Regis, C. II.* Neque desit hic ritus apud Burgundos. Cum enim Imperator Conradus sibi vindicaret regnum Burgundicum, et ejus Regem Rudolphum Ignavum ad pactum de successione, cum Imp. Henrico antecessore initum, servandum bello adigeret, traditionem hujus regni etiam factam fuisse per lanceam S. Mauricii, nos docet HVG. FLAVINIACENSIS in *Chronici Virdunensis C. XXIX. in Labbei Biblioth. MSS. T. I. p. 185.* his verbis: *Rodulfus Rex absque liberis existens, Conrado Imperatori Burgundiae regnum dereliquit, dans ei lanceam S. Mauricii, quod erat insigne regni Burgundiae.* Hanc ob causam Imperialem nostram sacram Lanceam putarunt esse illam St. Mauricii ADEMARVS CHABANNENSIS in *Chronici p. 170. et 182. ap. Labb. l. c. T. II.* et SVGERIVS de *vita Ludovici Grossi R. p. 102. ap. Pitheum*, ac his longe inferior Scriptor SIFRIDVS MISNENSIS, *epitomes Lib. I. in Pistorii T. I. p. 688.* inquit: *Henricus Auceps Rex lanceam Sancti Mauricii a Duce Burgundiae accepit; quorum tamen hallucinationes nos non ita offendunt ac nugae ac vacillatio GOTFRIDI VIERBIENSIS, qui cum Chronici P. XVII. p. 474. dixisset: Iste Henricus Rex (primus Rex Francorum, qui cognominatur Auceps) sacram lanceam Imperii, quae coram Imperatoribus fertur, a Rodulpho, rege Burgundiae multis extorsit. Alii dicunt a Bosone, rege Provinciae, fuisse eam ad Imperium translatae; deinde P. XIX. p. 531. in elogio lanceae sacrae, uberius hoc exponit ac prosequitur, inter*



alia ita canens :

*Lancea Mauricii reliquis prae maxima signis  
Plurima Christicolis peperit miracula signis,  
Clavus namque Domini junctus habetur ei.*

*Imperii solium cum maximus Otto teneret,  
Et valitura satis mundi fortuna faveret,  
Huic rex Boso loquens verba gemendo refert :  
Trado tibi regnum, cunctos depono decores,  
A modo nostra tibi sacra lancea praestet honores,  
Sola mihi monachi vita colenda foret.*

*Lancea Mauricii, mea quam tibi dextera tradit,  
Est caput illorum, quae nunc mea regna notavi,  
Nunc caput Imperii Lancea sancta dabit.*

Historia Burgundica nullum alium nobis sistit Bosonem, quam hujus regni conditorem, jam A. 887. vita defunctum, et regnante in Germania Henrico I. clavum regni Burgundici Jurani ab A. 912. usque ad A. 937. ut ex FRODOARDO, HERMANNO CONTR. SIGEBERTO, aliisque constat, tenuit Rudolphus II. Ex traditione regnorum per hastam derivatus est mos investiendi vassallos per hastam atque vexillum, quod ortum ex hasta signifera, ut cognoscimus ex textu II. FEYD. 2. pr. Investitura quidem proprie dicitur possessio, abusive autem modo dicitur investitura, quando hasta, vel aliud corporeum quidlibet porrigitur a domino, se investituram facere dicente. Diserte hoc tradit DITMARVS Lib. V. p. 369. ap. Leibniz. Gerhardus Comes Alsatiae accepto a Rege (Henrico II.) quodam comitatu praefati Ducis (Alemanniae) cum domum rediret, juxta unam urbium castra metatus est. A quo urbani pacem vix unam noctem impetrantes, egressi sunt dolose quasi ad colloquium, sed revera ad explorandum; E quibus unus calliditate  
aeque



neque et velocitate persaepe probatus propius accessit, signiferamque lanceam, qua beneficium Ducis Comes idem acceperat a Rege, coram tentorio ejus affixam, elevando circumspexit, ad ultimumque cum ea urbem securus cunctis in casum pene sequentibus intravit. In urbe mox exultatio magna extollitur, porta clauditur, comes quasi honore privatus irridetur. Qui eandem primo dulcibus promissis frustra tentans recipere, sed illis negantibus redditum, tristis abiit, tam vacuus a beneficio, quam a militari signo. Et Lib. VIII. p. 376. Henricus -- ad Ratibonam venit, ibique regali habito placito militi suimet generoque Henrico, XII. Calend. April. cum omnium laude praesentium cumque hasta signifera ducatum dedit.

§. VII.

Tertio, etiam illud ex historicis constat, lanceam sacram olim in Regum nostrorum inauguratione adhibitam fuisse, quemadmodum illud de Henrico II. Sancto memoriae proditum est. Cum enim hic post multas easque acerrimas contentiones Moguntiae ab Archi-Episcopo ejusdem sedis Willigiso in Regem inungeretur, inter alia inaugurationis regiae solennia a Bernwardo, Hildesheimensis Ecclesiae Episcopo, lancea sacra ipsi tradita fuit. Ita legitur in TANC MARI vita S. Bernwardi apud Leibnit. T. I. C. XXXIV. p. 457. Nam sicubi publici conventus cogebantur, vox una vulgarium: Dominum Henricum debere imperare, ipsum non alium quemlibet rebus debere praesse. Omnibus ergo pari voto in electione illius concordantibus, Willigisus, Archi-Episcopus, et Beatus Bernwardus, cum ceteris regni principibus, Dominum Henricum Moguntiam cum summo honore ducentes, Dominica octava Pentecostes, regimen et regiam potestatem cum Dominica hasta illi tradiderunt; ac deinde omnibus rite paratis, cum maximo tripudio universorum, solenniter cum Dei gratia unxerunt. Idem tenuit institutum Bernhardus Dux, cum Proce-

3.) quia sacra lancea adhibita fuit in Regum nostrorum inauguratione.



res Saxoniae se ejusdem Henrici regis imperio postea subde-  
rent. *Bernhardus Dux*, inquit *DITMARVS L. V. p. 368. ac-*  
*cepta in manibus sacra Lancea ex parte omnium regni curam*  
*fideliter committit.* Repetitum hunc ritum fuisse in Imp. Con-  
radi inauguratione, testatur *ADEMARVS in Chronico p. 182.*  
*Henricus quoque Imperator mortuus est sine filiis, et sacra Im-*  
*perialia moriens reliquit fratri Bruno Episcopo Osburc, et Archi-*  
*Episcopo Coloniae, nec non Archi-Episcopo Moguntiae, ut ipsi*  
*eligerent post se Imperatorem, qui Episcopi, adunato regno indi-*  
*xerunt Litanias et jejunia ad Dominum pro hac causa. Tunc*  
*populi elegerunt Cononem, nepotem Henrici Imp. defuncti. Epi-*  
*scopi vero saniori consilio elegerunt alterum Cononem, qui ne-*  
*ptem Henrici in conjugium habebat, pro eo quod esset fortis ani-*  
*mo, et rectissimus in judicio, quem ordinaverunt consecrationis*  
*oleo in regali gradu apud Moguntiam civitatem, et tradide-*  
*runt ei sceptrum, et coronam, et lanceam S. Mauricii. Ot-*  
*tonem Brunsvicensem, interfecto Philippo denuo electum, in*  
*famosa curia Francenfordensi A. 1208. exhibita sacra lancea*  
*inauguratum fuisse tradit GODEFRIDVS COLON. claris verbis*  
*p. 378. Anno Domini MCCVIII -- -- in festo S. Martini*  
*apud Frankinvort celeberrimus conventus Principum fuit. -- --*  
*Vbi Otto, Rex nonagesimo tertio loco ab Augusto, ab omnibus in*  
*Regem eligitur, diademaque cum lancea Imperiali, ei as-*  
*signatur.* De eadem cerimonia generatim quidem loquitur  
*ARNOLDVS LVBECENSIS Lib. VII. c. 16. simul tamen indicat,*  
ita omne imperium Ottoni commissum fuisse: *Ibi etiam,*  
inquit, *repraesentata sunt Domino Regi omnia Imperialia, cum*  
*plenitudine potestatis et honoris, et benevolentia favoris.* Cum  
post mortem Ottonis IV. Imp. A. 1218. Hervordiae ce-  
lebrata curia in Imperio confirmatus esset Fridericus II. in  
novis Comitibus Goslariensibus A. 1219. per ibi oblata sibi,  
ab Henrico, Comite Palatino, imperii insignia, inter quae fuit  
Sacra Lancea, qui illa a morte Ottonis Imp. fratris retinue-  
rat,



rat, imperium more majorum auspicatus est. MONACHVS  
 NVSSIENSIS enim in magno Chronico Belgico ad A. 1219.  
 p. 221. ait: *Fridericus Rex coronam, et lanceam, ceteraque  
 regalium ornatum insignia recepit ab Henrico, Duce Saxoniae,  
 fratre Ottonis, quondam imperatoris.* ET ALBERTVS STAD. ad  
 h. a. scribit: *Rex Fridericus conventu habito apud Goslariam  
 principes convocavit, ubi Henricus Brunsvicensis ei imperij  
 insignia praesentavit.*

§. VIII.

*Quarto*, exinde non leve pondus nostrae assertioni acce-  
 dit, quod lancea sacra tam ab Imperatoribus, quam ab aliis  
 Scriptoribus vetustioribus, semper inter Insignia Imperij refer-  
 tur. Sic WITTICHINDVS *Lib. I. Annal. p. 636.* Conradum  
 animam agentem, et Henrico Duci Saxoniae Imperialia trans-  
 mittentem insignia, ita loquentem refert, ut inter illa primum  
 locum Lanceae sacrae assignet, prouti ex ipsis hujus Auctoris  
 verbis optime cognosci poterit, quae jam supra §. VI. p. II. al-  
 legavimus, ac propterea hic repetere nolimus. Pariter in-  
 ter Clinodia Imperialia, post obitum Ottonis III. ab Heriberto  
 Archi-Episcopo Coloniensi asserta, ab omnibus fere Scri-  
 ptoribus etiam sacra Lancea numeratur. Ita enim scribit  
 DITMARVS *Lib. IV. p. 353.* Henricus Dux eos singula-  
 tim, ut se in Dominum sibi et Regem eligere voluissent, multis  
 promissionibus hortatur, et corpus Imperatoris cum apparatu  
 Imperiali, lancea duntaxat excepta, quam Heribertus Archi-  
 Praesul clam praemittens suam sumit in potestatem, habet hono-  
 rifice; Archi-Episcopus autem custodia parumper detentus,  
 relicto ibi pro vadimonio suimet fratre, cum licentia abiit, ac  
 sacram mox lanceam remisit. Porro ADEMARVS CABAN-  
 NENSIS *Chron. in Labbaei Biblioth. MSS. T. II. p. 170.* Arber-  
 tus, Archi-Episcopus Coloniae, sceptrum et coronam, cum lancea  
 S. Mauritii, secum ab Imperatore defuncto in Bojoariam de-  
 tulit.

4.) quia lan-  
 cea semper  
 inter insignia  
 refertur a  
 Scriptori-  
 bus.



tulit. Idem etiam testatur CHRONICON MALLEACENSE *ibidem* p. 205. *Aribertus, Coloniae Archi-Episcopus, expirante Ottone in partes Capuae, sceptrum et coronam auream, cum lancea sacra, secum afferens, ab Henrico circumventus insidiis captus est.* Sic etiam lancea et alia insignia Imperii conjunguntur a CONTINVATORE HERMANNI CONTR. ad A. 1062. in *Pistorii Script. T. I. p. 148.* ubi: *Hanno (Archi-Episcopus Coloniensis) Henricum Regem, cum lancea et aliis Imperii insignibus, a matre Imperatrice vi arripuit.* Omnes fere Scriptores, qui truculentam exauctorationem Imp. Henrici IV. ab impio filio Henrico V. factam recensent, mentionem sacrae Lanceae in supellectile regia faciunt. Ita AVCTOR VITAE HENRICI IV. p. 389. *Filius statim misso legato patri mandavit, ut, si vitam servare vellet, absque mora sibi crucem, coronam et lanceam, ceteraque regalia, transmitteret.* Ipse quoque Imperator Henricus IV. in epistola quadam ad Regem Celtarum, quae extat ap. VRSTISIVM, p. 397. lanceam sacram inter Imperialia insignia refert, dum ita scribit: *In illis poenitentiae et tribulationis meae diebus, a filio meo missus venit ad me quidam Princeps Wigbertus, dicens, nullum vitae meae esse consilium, nisi sine ulla contradictione omnia regni insignia redderem ex voluntate et imperio principum. At ego, etsi omnis terra, quantum inhabitatur, mei regni terminus esset, nollem regno vitam commutare; quia vellem nollem sic agendum, et sicut definitum intelligebam, coronam, sceptrum, crucem, lanceam, gladium, mihi Moguntiam.* Et in Epistola ad filium Henricum *ibid.* p. 398. *Abstulisti -- -- in captivitate quicquid residuum erat, ut lanceam et crucem, et omnia regalia insignia, vi et timore mortis.* Idem factum etiam refert CONRADVS, ARBAS VRSPERGENSIS, in Chron. ad A. 1106. his verbis: *Cui cum legati communionem seu poenitentiae modum, absque generalis synodi et apostolicae discussionis censura, reddere ad praesens non possent, ipse partis utriusque consiliis annuens, regalia vel imperialia insignia,*  
*crucem*



*crucem scilicet et lanceam, sceptrum, globum atque coronam filii potestati tradidit, prospera illi imprecans, etc. SVGERIVS de vita Ludovici Grossi R. p. 102. Henricus Imperator, vir, affectus paterni et totius humanitatis expers, qui et genitorem Henricum crudelissime persecutus exheredavit, et vi ferebatur nequissima captione tenens inimicorum verberibus et injuriis, ut insignia regalia, videlicet coronam, sceptrum et lanceam S. Mauritii redderet, nec aliquid in toto regno pretiosum retineret, impiissime coegit. Referri quoque huc debet locus GOTTFRIDI VITERBIENSIS Part. XVII. Chron. p. 511. ubi: In gratiam omnes recepti ab Conrado III. excepto solo Duce Bavarorum, Henrico, qui cognominabatur Superbus. Apud quem etiam insignia regalia contumaciter adhuc detinebantur. Erat enim gener defuncti Imperatoris Lotharii. Et ex hoc tenebat Regalia. Ad regnum quantum poterat, aspirabat. Coactus vero tandem regalia, id est, crucem, lanceam et coronam reddidit, gratiam autem Regis non impetravit. Notandum praeterea, inter vetustos Scriptores hunc GOTTFRIDVM VITERBIENSEM in accurata descriptione insignium regalium jussu Imp. Friderici I. composita, nostrorum omnium aliorum superasse industriam, cui destinavit Partem XIX. Chronicorum, cujus titulus: De regalibus insignibus, videlicet de sancta cruce, de gladio, de lancea sacra, de sceptro, de pomo aureo, de corona, de diademate. Ipsa descriptio incipit:*

*Caesar jussit heri, quae sint insignia? quaeri,  
 Quae caput Imperii digne perhibentur haberi,  
 Et cur signa gerit, quid rationis erit?  
 Ut scriptura tonat, crux, ensis, scepra, corona,  
 Lancea, palla, bona nobis insignia donant.  
 Restat ut exponam, quid sua signa sonent.*

Gottfridus, quaesitus ergo ab Imperatore de insignibus regalibus, in sua responsione et expositione eorum, iis etiam praecipue accensuit lanceam sacram, plane praetermissis omni alio

D

appara-



apparatu regionum ornamentorum et sacrarum reliquiarum ad imperium pertinentium. His subjungam quaedam recentiorum quidem, sed maxime tamen idoneorum scriptorum testimonia. ALBERTVS ARGENT. p. 119. ad A. 1315. haec refert: *Monstrabantur ibi (Basileae) sanctuariorum insignia, quae Regum dicuntur, scilicet lancea, clavus, pars crucis Salvatoris, corona, gladius Caroli, et alia per quendam Cisterciensem, et cecidit machina prae multitudine hominum, ubi plurimi sunt oppressi. Et p. 156. Marchio (Ludovicus) quoque Lanceam, clavos, partem crucis, et alia insignia, quae Imperii dicuntur, per Ludovicum Imp. patrem suum, relicta, Regi (Carolo IV.) praesentavit, recepta cautione de reducendo infrariduum vel in Nurnberg, vel in Franckfurt, per Regem: quod non fuit impletum, sed ea Pragam perduxit, de quo Bobemia nimirum gratulatur. HENRICI REBDORFII ad A. 1350. in Freheri T. I. p. 637. Anno Domini MCCCCL. qui fuit Jubilaeus -- VI. mense Aprilis Ludovicus, Marchio Brandenburgensis, insignia Imperialia, videlicet lanceam, qua perforatum fuit latus Domini nostri Jesu Christi, et clavos, ac gladium Karoli Magni, nec non alia, quae reservata fuerunt in oppido Monaco per Ludovicum, patrem suum, tradidit Karolo, Regi praedicto, in Nurenberg, qui in Bobemiam in civitatem Pragensem ista deducit. Et ad A. 1361. Imperator et insignia imperialia jubet deduci de Bohemia, et solenni apparatu, et ostendit ibidem. -- Et nota, quod insignia imperialia, quae tunc vidi (de quibus Papa festum indicxit) sunt haec: Primum ferrum lanceae, quae transfixit latus Christi. Item clavus cum aliquantula petra ligni S. Crucis, quae transivit manum Christi. Item gladius Caroli M. primi Imperatoris Rom. quem tunc Imperator tenebat in manibus, et corona, qua coronatus est in Imperatorem a Leone Papa III. Item gladius Mauritiæ martyris. Item petra brachii S. Annae, matris Mariae virginis, et dens Johannis Baptistae. Item petra cordae, qua Christus fuit ad columnam ligatus. Spon-*

gia,



*gia, qua fuit in cruce potatus, et aliae plures reliquiae Sancto-  
rum.*

§. IX.

*Quinto, etiam ex intentione primi acquirentis sacra lancea inter Cimelia Augustalia omnino referenda est. Henricum I. Regem enim illam non reliquii, sed Insignibus Imperii adjecisse, manifesto probant clara verba SIGEBERTI GEMBLAC. Ad A. 929. quae superius jam §. IV. p. 10. adduximus. Ex quo loco certissime colligere possumus, Henricum Lanceam Sacram imperio acquirendo, nihil aliud voluisse, quam ut ejus in regia dignitate successores hac lancea in signum majestatis et in tutelam Imperii uterentur. Unde etiam successu temporis factum fuit, ut, cum post obitum Imperatorum de successione contentio exoriretur, primaria ad hanc dignitatem aspirantibus cura fuerit, uti de omnibus aliis regalibus insignibus, ita potissimum de sacra lancea in custodiam suam perducenda. Hinc valde gloriatur Philippus Suevus in scripto ad Papam in Registro Innocentii III. de negotio Imperii ep. 136. p. 747. Habuimus etiam in potestate nostra sanctam crucem, lanceam, coronam, indumenta imperialia et omnia insignia imperii. Nec minus de possessione clinodiorum Imperii laetatur Imp. Wilhelmus in epistola ad Abbatem Haecmundensem in ANI. MATTHAEI Chronico Egmondano C. XLIII. p. 52. Accedat ad cumulum gaudiorum, quod castrum Dryfels et insignia Imperialia diademate, cum multis sanctuariis, et in ornatu ineffabili, lanceam et coronam in nostro dominio jam habemus, et pacifice possidemus. E contra redditio sacrae lanceae signum erat dimissi vel ablati Imperii. Ita captivus Fridericus Pulcher, Dux Austriae, in dissidio Electorum Imperator electus, tam ad abdicationem Imperii, quam ad restitutionem insignium Imperialium diuturniore custodia cogebatur. ALBERTVS ARGENTIN. p. 524. scribit: Trahebatur autem saepe de liberatione Friderici, et impediende liberationem ejus,*

quod



quod Dux (Leopoldus, frater ejus) insignia sanctuariorum Imperii, lanceam videlicet, et alia noluit resignare.

## §. X.

6) quia usus  
fuit Lanceae  
sacrae in ex-  
peditionibus  
Imperato-  
rum.

Sexto denique et ultimo, sententiam nostram exinde confirmamus, quod in expeditionibus veterum Imperatorum Lanceae sacrae frequentissimus usus fuit, ut, hoc signo victorifero praeunte, hostes terrerent ac fugarent, ut LVITPRANDVS loquitur *Lib. IV. c. 12.* Idem asserit ALBERTVS STADENSIS ad *A. 920.* Hac ergo occasione, imo Dei voluntate, sanctam Rex adeptus est lanceam, per quam ipse de hostibus saepe triumphavit, eamque filio suo Ottoni decedens cum regno reliquit. Ita teste LVITPRANDO *Lib. IV. c. II. p. 134.* Imperator Otto I. Rex in proelio ancipiti Biertanico ad Rhenum A. 939. cum Gifilberto Lotharingorum, Eberhardo Duce Francorum, ac suo fratre Henrico commisso, secum habuit sacram lanceam, atque hoc sacro pignore animum in precibus pro victoria reportanda obfirmavit. Audiamus verba LVITPRANDI: *Rex quoniam suis ab hostili exercitu circumventis subvenire non poterat, recordatus populi Domini, qui repugnantes sibi Amalekitas orationibus Moysi servi Dei devicerat, protinus de equo descendit, seque, cum omni populo lacrymas fundans, ante victoriferos clavos manibus Domini nostri Jesu Christi affixos, suaeque lanceae impositos, in orationem dedit, quantumque justus viri, secundum Apostoli Jacobi sententiam, tunc valeret oratio, res manifesta probavit: eo namque orante cum ex suis nullus occumberet, hostes sunt omnes in fugam conversi.* Eadem refert CHRONOGRAPHVS SAXO ad *A. 940.* in Leibnitii *Access. T. I. p. 157.* Tunc rege Lotharingienses, ubi tunc rebellionis summa erat, adveniente, Gifilbertus cum fratre Regis transitum Rheni regi prohibere volens, socius regis congregatur, rege interim in alio Rheni littore ante clavos Domini lanceae suae infixos in oratione prostrato, sed Deo victoriam praestante.

Arma-



Armatus sacra lancea idem Otto I. A. 955. ad Lycum prope Augustam suum exercitum adversus immensam Vngarorum multitudinem duxit, eamque feliciter profligavit. DITHMARVS *Lib. II. p. 332.* inquit: *Sumpsit Rex clypeum lancea cum sacra milites in hostem praecedendo, resistentemque primus irrupit, ac mox terga vertentem usque ad vesperam prostravit ac effugavit.* TANCMARVS in vita S. Bernwardi obsidionem Tiburtinae urbis ab Imp. Ottone III. A. 1001. factam describens, inter alia refert, in ea quoque sacram lanceam adhibitam fuisse, *Cap. XXIIV. Bernwardus Episcopus Dominicam hastam subiit, se quoque atque omnes vivificae crucis munimine signat, benedictione publice data, ac vitalibus monitis consolans et corroborans, signifer ipse cum sancta hasta in prima fronte acie egredi parat. Sequenti autem mane, Imperator cum suis post missarum solennia, a venerabili Bernwardo sacramentis coelestibus ac divinis exhortationibus consolati, adversus hostes certamen instruunt, ipso Antistite cum sancta hasta terribiliter fulminante; cordis vero instantia pacem ab Auctore pacis suppliciter flagitante.* DODICHINVS in enarratione belli, ab Imp. Henrico IV. contra Eggebertum II. Marchionem Misniae gesti, et liberationis castri Glichenis ab Imperatore obsessi, ad A. 1089. scribit: *In eo denique certamine Burchardus Losannae Episcopus interfectus est, qui lanceam regalem (VRSPERGENSIS ad h. a. p. 227. addit: ea die) ferebat, cum quo etiam multi clericorum tumultum fugientium ac persequentium contriti corruebant.*

§. XI.

Sed nostrae sententiae de Lancea sacra, non Lipsanis sacris, sed Cimeliis augustalibus accensenda, obstare videntur multa antiquorum Scriptorum loca, quae nullam mentionem sacrae lanceae faciunt inter regalia ornamenta. Ita HELMOLDVS *Lib. I. c. 32.* commemorans impetum, quo Episcopi Henrico IV. Imp. insignia Imperii detraxerunt, et ad filium Hen-

Conciliatio  
locorum  
huic sententiae  
obstantium.



ricum V. detulerunt, dicit: ex ore Principum: *Fac nobis reddi coronam, annulum et purpuram caeteraque ad investituram Imperialem pertinentia, filio tuo deferenda* CONRADVS VRSPERGENSIS pariter aliquoties de imperialibus insignibus loquens omittit sacram Lanceam, p. 271. *Henricus V. apud Traiectum -- -- ad extrema coepit propinquare -- -- coronam, caeteraque regalia, usque ad conventum principum conservanda, in castello firmissimo, quod Hamirstein dicitur, reponi disposuit.* p. 305. *Philippus volebat tenere imperium, cum in potestate sua haberet insignia imperialia, utpote coronam et crucem, et alia quae attinebant.* p. 312. *Henricus de Scharphinberc Spirensis Episcopus, qui fuerat protonotarius in curia Philippi, in potestate habebat in castro Trivels coronam, et crucem, et insignia regalia, quae nec etiam restituere voluit, nisi fieret cancellarius imperialis aulae.* et p. 321. *Imp. Fridericus II. A. 1221. res imperii in Lombardia et in Tuscia cupiens disponere -- -- insignia imperii, videlicet coronam et alia, remittit in Alemanniam, faciens ea custodiri sub potestate Eberhardi de Tanne ministerialis et dapiferi sui.* Sed horum testimoniorum ex instituta cum aliis collatione facilis est interpretatio ac conciliatio. Inter angustalia decora, Imperatori Henrico IV. ab impio filio Henrico V. ablata, fuisse sacram lanceam, ipsius Imperatoris tam atrociter affligi ac laesi, verbis in non una epistola §. VIII. comprobatum fuit; atque sic adstruit potius, quam destruit Helmoldus nostram sententiam, semel atque iterum asserens, omnia ea, quibus Henricus tam violenter exutus fuit, *ad sacram investituram pertinuisse.* Abbas Urspergensis, etsi in citatis locis speciatim inter imperialia insignia non recenset lanceam sacram, eam tamen ex eorum numero non excludit, quod alia ejus loca ostendunt in §. VIII. adducta. Per *caetera* etiam *regalia*, quae in his locis, de quibus nunc disquiritur, coronae et cruci subjungit, semper subintellexit etiam lanceam sacram. Henricum V. patri eripuisse summa impietate



pietate sacram lanceam, inter omnes jam constat. In mani-  
 bus Imp. Philippi eandem fuisse, ipse testatur in epistola allata  
 in §. IX. Imp. Ottoni in comitiis Francofurtanis ab Episcopo  
 Spirensi illam exhibitam fuisse, dictum est in §. VII. Praeterea  
 legimus in ejus testamento in MEIBOMII *apologia ejusd.* p. 148.  
*T. III. Script. Meibom. Te frater Henrice, Palatine Comes Re-*  
*gni rogamus, ut si -- -- Deus -- -- praeceptum suum de no-*  
*bis fecerit, ut univrsae carnis viam ingrediamur, -- -- san-*  
*ctam crucem, lanceam et coronam, dentem S. Joannis Bapti-*  
*stae, et Imperialia insignia, praeter pallium nostrum, quod dan-*  
*dum est ad S. Egidium, viginti septimanis post decessum no-*  
*strum, conserves, et nulli homini sub coelo repraesentes, nisi e-*  
*quem principes unanimiter elegerint et juste. Neque sacra lan-*  
*cea caruisse Imp. Fridericum II. non solum testatur Mona-*  
*chus Nussiensis in §. VII. verum etiam filius Conradus IV.*  
*Rex Romanorum, in codicillo anno MCCXLVI. feria D.*  
*Lamberti signato, cujus hanc veterem versionem Germanicam*  
*ex codice Bibliothecae Vffenbachianae, proh dolor! nunc*  
*distractae, nobis dedit Vir de historia Germanica instauranda*  
*immortaliter meritus, nobisque faventissimus DN. GEORG.*  
*CHRISTIANVS IOHANNIS in epistola elegantissima subjuncta*  
*Schlaasii Orationi de Castro Trifels p. 30. Wir Conrad -- --*  
*daz die -- -- Isengard, Husfrawve Philipsen von Falckenstein,*  
*unfers lieben Troessen -- -- uns geantvortet hat -- -- die Burg*  
*Trifels und die Keiserliche Zeichen, mit namen unfers*  
*Hern Holcz, mit einem gulden Crucz, S. Johann Baptisten*  
*Zahn -- S. Mauricien Spehr -- -- unfers Hern Nagel -- --*  
*zwey Schwert mit zwey Scheiden -- -- den gulden Appel mit*  
*dem Crucze, den Keiserlichen Mantel, den gulden Sporen, ein*  
*Albe von wissem Sammet, zwey scharlacken Hosen, und*  
*zwey Schue mit steinen gezieret, etc. Opponitur denique*  
*ALBERTINVS MVSSATVS, qui in suo Ludovico Bavaro in Mura-*  
*torii Rer. Italic. Script. T. X. p. 782. Lanceam sacram reli-*  
*quie*



quius Imperii diserte annumeravit : *Reliquias Domini nostræ Jesu Christi, Lanceam scilicet, et clavos, quæ velut pignora quaedam veri Imperatoris, et Romani Regis habentur, ab illo (Ludovico Imp.) eodem bello quæsitæ potenter, sicut vera sunt, indubitanter asserimus.* Sed peregrinus et patrii moris ignarus scriptor nos non cogit ire in suam sententiam.

§. XII.

Ufus hujus distinctionis in decidenda Quæst. Annon traditio sacrae Lanceæ in regia inauguratio- ne instauranda sit? Quod affirmatur.

Haec ad probandam sententiam nostram, sacram nimirum Lanceam inter Clinodia Imperii referendam esse, adduxisse sufficiat. Restat ut paucissimis adhuc exponamus, quamnam utilitatem hæc consideratio habeat, ne quis forte existimet, frustra hanc disquisitionem a nobis institutam fuisse. Exerit nimirum se usus hujus meditationis in discutienda illa quæstione: *Annon sit traditio Lanceæ Sacrae in regia inauguratio- ne instauranda?* Ad quam affirmando respondendum esse censemus. *Primo* enim certissimum est, non semper uniformem fuisse præscriptum ritum in regum coronationibus, nec ubique eadem solennia in regia inauguratione observata, sed in iisdem modo hæc, modo illa, regalia adhibita fuisse legimus, id quod quilibet inprimis ex descriptionibus Coronationis Ottonis M. apud WITTICHINDVM *Lib. II. p. 642.* et Wilhelmi Batavi in *magno Chronic. Belgic. p. 245.* facile animadvertere potest. *Deinde* jam supra in hac Diff. §. VI. ostendimus, per lanceam sacram antiquissimum regni tradendi modum significari. *Denique* abest ab hoc instituto omnis novitas, id quod apparet ex Scriptoribus superius §. VII. allegatis. Si itaque Caesari Augustissimo, et Sacro Collegio Principum Electorum etiam congruum ac decorum videatur, possit post traditum et accinctum gladium Caroli M. Imperatori uncto, et amictu Augustali induto, a Pontifice Consecratore porrigi lancea sacra, tanquam signum vetustum regiae potestatis, simul adhibita quadam formula solenni.

§. XIII.



## §. XIII.

Ex hac restitutione *sacrae Lanceae* inter Cimelia Augustalia, quibus recens electus Imperator noster consueto more inauguratur, nonne etiam opportuna et haecenus exoptata occasio subnascitur facile finiendi tam gravem, diuturnam, et tanta jurium ac praerogativarum competentium contentione agitatum litem *de novo ac congruo S. R. I. Archi-Officio Palatino instituendo?* quod non minus idoneum, splendidum ac honorificum est, ac caetera Imperii primaria ministeria, quae Principes Electores *ad decorem imperialis reverentiae*, uti OTTO FRISINGENSIS loquitur *Lib. VII. c. 19. Chron* propria gerunt, et quod praeterea hanc eximiam habet commendationem, quod in nullius vergit praejudicium, nullius Principis Electoris Archi-Officium attingit, ideoque nulli etiam contradictioni et protestationi expositum est. Cum enim singuli Archi-Officiales, ex prisco more, et praescripto A. B. obire soleant in actu coronationis Imperatoriae solennia quaedam munia inter se distributa, nonne etiam tam festivae solennitati congruum, et tot litibus componendis consultum foret, ut inter Principes Electores, Archi-Cancellarios, Archi-Pincernam, Archi-Dapiferum, Archi-Mareschallum, Archi-Camerarium et Archi-Thesaurarium, etiam S. R. I. ARCHI-LANCIFER, qui Germanice diceretur *des Heil. Röm. Reichs Erz-Speer-Träger*, locum assignatum commode haberet, eique haec solennis functio attribueretur, ut in sacra Caesarum inaugurationis cerimonia, in suo descripto ordine, *gestaret sacram Lanceam*, et quidem 1) ante coronationem in pompa introitus in templum, 2) in ipsa coronatione uno eodemque tempore, quo Archi-Mareschallo incumbit tenere ensam, et aditare folio Imperatoris, et 3) post coronationem in solenni reditu ad palatium Imperatoris? Hoc non

E effet

Subjungitur  
problema de  
novo S. R. I.  
Officio, Ar-  
chi-Lancife-  
ratu institu-  
endo.



esset novum institutum, sed ex prisco aevo repetitum et instauratum. Lanceam sacram enim olim praelatam fuisse nostris Imperatoribus abunde docent aliquot veteres Scriptores. ARNVLPHVS in *vita St. Ramuoldi* §. 19. Otto III. piissimus Augustus, ex more praecedente sancta et crucifera Imperiali lancea exiit de civitate ista (Ratisbona) petiturus Italiam. Testimonia clara huc facientia DODECHINI et CONRADI VRSPERGENSIS in §. X. p. 25. produximus, uti etiam GOTTFRIDI VIHERB. in §. VIII. p. 21. GREGORIUS IX. PP. Lib. I. ep. 142. ad Imp. Fridericum II. scribit: *Crux, ubi est lignum Domini, et Lancea, ubi clavus ejus consistit, ante te in processionibus solennibus deportantur.* Ex concessione Imperatoris Henrici IV. in virtutis bellicae praemium, ac victoriae ab hoste imperii reportatae memoriam, lancea, erepta Rudolpho Suevo, Anticaesari, in proelio Fladenheimensi A. 1079. praeferebatur etiam Vratislao, D. Bohemiae, ejusque successoribus, uti hoc tradit ALBERTVS STAD. ad h. a. *Iterum bellum inter Henricum et Rodolphum juxta Fladecheim, ubi in primo congressu Saxones terga vertunt. Ibi Dux Boemiae, Vladislaus, regalem lanceam Rodulphi adeptus est, quae exinde semper, quemvis illius gentis Ducatu insignem in omni festiva processione praecedit.* CHRONOGRAPHVS SAXO ad h. a. p. 263. et CONRADVS VRSPERG. p. 223. eadem repetunt, sed cum additione: *Ex permissione Regis Henrici.* Sed cum sint duae partes istius summi muneris, Archi-Officialibus demandati, quarum prima peragitur in ipso actu sacrae inaugurationis, altera subsequitur eundem, sed antecedit convivium imperiale, non inconueniens et ab hac festiva cerimonia alienum esset, si haec altera Archi-Lanciferatus functio in eo consisteret, ut Archi-Lancifer conscenso equo iterum prodiret in publicum, et, sublata sacra lancea, clara voce excitaret in foro ac compitis circumstantem populi concionem ad repetitionem acclamationis



tionis votivae, qua olim teste ANASTASIO *in vita Leonis III.* p. 184. a populo Romano Carolo M. delatum fuit imperium: CAROLO, PISSIMO AVGVSTO, A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI, VITA ET VICTORIA. De substituendo tunc ab eodem sibi *Vicario haereditario*, nostrum non est monere. Si tamen etiam sententia nostra sit dicenda de symbolo ejusdem, pro tessera scutaria Archi-Lanciferatus Imperii hoc modo renovati, ipsa *sacra Lancea situ erecto* pulchre radiaret *in rubeo solo*.

§. XIV.

Si vero contra hanc nostram sententiam obiectio formetur, quod nimirum tale Archi-Lanciferi officium munus sit magis militare, quam curiale, et hac de causa ad festivam Imperatoris curiam minus accommodatum; Archi-Officia vero sint Officia aulica, sive palatina, non vero militaria: ad hanc respondemus: 1) Archi-Mareschalli Officium nec mere militare, nec mere curiale esse, quippe quod tam ad curiam, quam ad militiam Imperii sacri pertinet: in utraque enim suis partibus Archi-Mareschallus defungitur. 2) Archi-Vexilliferi munus totum est militare; nihilominus tamen ei locus attributus fuit inter Archi-Officia Imperii, prout cognosci potest ex controversia illa, quae inter Principem Electorem Brunsvigo-Luneburgensem et Ducem Württembergicum disputata fuit. 3) Denique ostendunt aliquot antiquae picturae Karolingicae, Regibus Francorum semper adstitisse officiales sive ministros, hastas eorum gerentes, quas frequentissime in manibus gestabant, quod eorum Sigilla, e. g. Arnolfi, Ludovici IV. et Chuonradi I. in Cl. SCHANNATI *Vindic. Archiv. Fuld. tab. VII. et VIII.* et in ECCARDI *Rer. Francic. Lib. XXXII. §. LXXV. T. II. p. 786.* et *Lib. XXXIII. §. 13. p. 829. et §. 69. p. 86.* luculenter ostendunt. Talem picturam aeri

Respondemus  
ad Obiectio-  
nes quasdam.  
Ad 1.



incisam ex Codice pretioso Sacrae Scripturae Imp. Carolo Calvo a Canonicis Turonensibus S. Martini, eorumque Abbate Viviano A. 850. oblato, et deinde ad monasterium S. Martini Metense delato, et demum A. 1675. a Capitulo S. Sephani Metensi Colberto, Regis Galliae Ludovici XIV. summo status administro, dono dato, STEPH. BALZIVS *in not. ad Capitular. T. II. p. 1276.* nobis dedit; quam ECCARDVS *Rer. Francic. Lib. XXX. §. LXXX. T. II. p. 410.* repetiit, et cujus etiam ectypum, longe quidem minori forma, nos hic in Tabula II. adjunximus. In ea conspicitur insidens Imp. Carolus Calvus folio, exornato tribus liliis in fastigio, ac conspicuo suspensio in tergo aulaeo, superstrato pulvinari, et subdito scabello. Imperator vestitur tunica oblonga, habetque pallium, adstrictum fibula in dextro humero, ad talos defluens, et phrygio opere fimbriatum. Caput ejus rasum exornat corona, ex prominentibus et reflexis VI flosculis et circulo gemmato composita. Dextram protendit, ad librum oblatum accipiendum, in sinistra vero tenet baculum globulo in summitate tectum, et sensim sensimque attenuatum. Proxime ad utrumque latus adsunt, et solium manibus attingunt duo proceres vestitu Francico, palliati, taeniis albis in frontibus redimiti, ac fasciis reticulatis caligati. Juxta illos consistunt duo viri sagati, palliati et galeati. Ad dextram positus hastam regiam erectam manu dextra, et clypeum solo innixum sinistra tenet. In sinistra collocatus ens regium vaginatum, in transversum utraque manu gestat. Infra hunc stat alius aulicus, et fortasse Magister admissionum, qui manu dextra protensa quasi ostendit, se decuriam Canonicorum Turonensium cum Abbate ad Imperatorem introduxisse, ex quibus tres ad dextram solii stantes codicem linteo involutum Imperatori offerunt. Haec aguntur in atrio palatino, cujus arcus sustentatur duabus columnis ordiais peregrini. In  
arcu



arcu suspenditur quatuor interstitiis connexum velum, supra quod inter quatuor dependentes lampades, ex coelo tribus stellis notato, protensa manus dextra radiata benedicens Imperatori conspicitur. Demum in utroque superiori angulo extra arcum prominet femina velata, circulum aureum et tribus margaritis fastigiatum porrigens, ac palmam tenens. *Alteram* picturam Francicam, sistentem ad thronum regium *lanciferum* ex egregio codice quatuor Evangeliorum aureis literis uncialibus A. 870. scripto, et nunc in sacratio monasterii S. Emmerani Ratisbonae asservato, produxit ECCARDVS *l. c.* *Lib. XXXI. §. CLXIX. T. II. p. 563.* Sedet in ea idem Carolus Calvus paludatus in throno ornatissimo; ad dextram ejus ministerialis capite nudo gladium regium cum baltheo tenet, cui adscriptus hic versus:

ARMA TIBI FAVEANT CHRISTI STABILITA PER  
AEVVM.

ad sinistram adest alius ministerialis, hastam auream et clypeum gerens, supra quem legitur:

MVNIAT ET CLYPEVS SEMPER AB HOSTE  
SVVS.

*Tertio* BALVZIVS *l. c. p. 1279.* repraesentavit Imp. Lotharii imaginem, ex codice Evangeliorum a monachis S. Martini Metensibus A. 841. scripto, et neque in hac pictura absunt Ensiser, et *Lancifer*, pone solum ex utroque latere prospicientes. Eandem pariter suo operi splendido inseruit ECCARDVS *T. II. Lib. XXIX. §. CXXI. p. 352.* Juvat denique et *quartam* effigiem lanciferi regii ac solio regio proximi adducere. Vulgatiores ea est prioribus, atque ex Codice Bibliothecarum in Archivo Ecclesiae S. Pauli Romae reposito proposita a NIC. ALEMANNO in *Lateranensibus parietinis p. 123.* COLLECTORE *Inscr. antiqu. basilic. S. Pauli ad Viam. Off. p. 33.*



MABILLONIO in *Itiner. Italici* p. 70. et ab ECCARDO in *Dissert. de imagin. Caroli M.* p. 14. et *rer. Francic. Lib. XXXI. §. CXLIX.* p. 624. Apparet in ea Rex sive Carolus M., sive Carolomannus, R. Bajoariae, in throno, coronatus, regio paludamento indutus, sinistra tenens globum obscuro et dubio monogrammate notatum, ac habens ad dexteram duos ministeriales, spatharium nempe, et *Lanciferum*, qui simul etiam scutifer; ad sinistram vero occurrit matrona regaliter induta, et post eam virgo. Ingotertus scriba hanc addidit explicationem:

*Ad dextram armigeri praetendunt arma ministri*

*Nobilis ad laevam conjux de more venustat  
Qua insignis proles ad regnum rite paratur.*

Ad 2.

Tot picturis ergo antiquis, Regum Francorum *Lanciferos* regios ostendentibus, non possumus non eos ministerialibus aulae accensere. Sed regerere quis possit, ejusmodi armigerorum regionum dignationem olim in ordine palatii non magnam fuisse, eosque ad classem superiorum ministerialium palatinorum, quorum HINC MARVS meminit, non pertinuisse. Sit ita. Sufficit nobis, quod nunc Princeps Elector Saxo non gravetur protosphatharium imperialem agere, ergo alteri Principi Electori quoque haud indecorum aut molestum erit, fungi munere Archi-Lanciferi imperialis. Ante constitutum Archi-Thesaurarii munus in imperio missilia aurea argenteaque in solennitate coronationum Imperialium spargebantur in vulgus a quaestoribus, dispensatoribus, camerariis; imo in coronatione Imp. Maximiliani II. a tribus stipatoribus, inferioris conditionis hominibus, vid. WELSERVS in *Comment. de S. R. I. Officialibus et Sub-Official.* C. XVI. p. 86. Et Comes Palatinus tamen post delatum sibi Archi-Thesaurarii officii-



officium non est dedignatus functionem spargendi nummos in publicum. Neque demum aliquem offendere debet recens appellatio ARCHI-LANCIFERI et ARCHI-LANCIFERATUS, utpote vocis nunc inventae ac tituli novi. Sed non respuunt res denuo inflauratae, et quasi novae nova nomina, pristinis e memoria hominum sublatis, et cum admittantur inter Officiales palatinos *Dapifer, Ensifer, Signifer, Scutifer, Bacillifer*, neque Lancifer est rejiciendus ex eorum ordine.

Ad 3.

§. XV.

Sed haec sufficiant pro modulo ingenii attulisse de *sacra Lancea, usque ejus in Imperiali inauguratione instaurando*, atque hac occasione *instituendo S. R. I. Archi-Lanciferatu*. Quoniam vero nostrum in umbra Academica delitescendum non est tantas de novo idoneo Archi-Officio S. R. I. exortas componere lites, hac de causa summa animi modestia et demissione hanc levidensem disquisitionem judicio, censurae et decisioni Virorum illustrium, et in luce publica Imperii versantium, eo, quo decet reverentiae et obsequii cultu, submittimus, eorumque patrocinio ac benevolentiae conatus nostros historicos enixe commendamus.

Epilogus.



PARER.





PARERGA.

I.

*Insignia Imperialia nostra sunt Karolingica.*

II.

*Fabula est coronam Germanicam esse argenteam.*

III.

*Plures fuerunt sacrae lanceae.*

IV.

*Nostra sacra lancea non fuit Karoli M.*

V.

*Vexilla ex hastis signiferis orta sunt.*

VI.

*Ex hastis signiferis insignia gentilitia orta esse, nego.*


VII.

*Ex Archi-Officialibus Imperii orti Principes Electores.*

S. D. G.

PARERGA





B.I.G.

Farbkarte #13

*N. h. II, 65.*  
*A. 10, 4.*

II m  
519

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA  
 DE  
**IMPERIALI  
 SACRA LANCEA**  
 NON  
 INTER RELIQUIAS IMPERII  
 SED CLINODIA  
 REFERENDA  
 CVM PROBLEMATO  
 DE  
**NOVO S. R. I. OFFICIO  
 ARCHI-LANCIFERATV**  
 QVAM  
 SVB MODERAMINE  
*MAGNIFICI ACADEMIAE RECTORIS  
 DOMINI  
 IOHANNIS DAVIDIS KOELERI P. P.  
 PRAECEPTORIS AC PATRONI  
 AETATEM COLENDI*  
 D. DECEMBER. A. CIOIOCCXXXI  
*PVBlice SOLENNITERQVE VENTILABIT*  
 AVCTOR  
**WOLFGANGVS ALBERTVS SPIES. NORIMB.**  
 I. V. C.

ALTORFII  
 LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI

8

*611*